Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1542
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

se diuinitas patris ostendebat, per subiectam creaturam se uisibilem demonstrabat.
Nam per ipsam suam naturam usque adeo inuisibilis est, ut ipse moyses cui cum quo
facie ad faciem loquebatur diceret: Si inueni gratiam ante te, ostende mihi te
metipsum manifeste; Volebat enim eum uidere sicut uidetur deus oculis cordis; Beati
enim mundi corde, quia ipsi deum uidebunt. Sic uolebat uidere moyses eum
cui dicebat: ostende mihi temetipsum manifeste, sicut conspiciuntur et in
uisibilia dei per ea que facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque uirtus
eius ac diuinitas. Ecce intelligendo conspiciuntur inuisibilia dei, et tamen in
uisibilia dicuntur, et omnia per ipsum facta sunt, Christum uisibilia et inuisibilia,
et ipse a nobis oculis uisibilis potest. Hinc etiam dicis ~~potest~~ de patre tantum intelligi
debere quod ait apostolus: soli sapienti deo. Ergo solus est pater deus sapiens, et non est sapiens
ipsa dei sapientia quod est Christus, de quo ait apostolus: Christum dei uirtutem et dei sapientiam. Superest
ut dicatis quod enim non audetis insipientem esse sapientiam dei. Sic autem dicis
patrem infectum, quia filius factus sit per quem facta sunt omnia. Secundo factum esse filium,
sed in forma serui. Nam in forma dei usque adeo non est factus, ut per illum facta sint
omnia; Si enim ipse factus est, non omnia per illum facta sunt, sed cetera. Non itaque dico
filium ingenitum, sed patrem genitorem, filium genitum. Hoc tamen genuit pater quod est;
Alioquin non est uerus filius. Si quod est pater non est filius sicut de partubus animalium iam supra
diximus, quia ueri filii hoc sunt per substantiam quod parentes. Quid est autem quod posuisti
ut ostendam tibi equalem patri spiritum sanctum esse, quasi tu ostenderis patrem maiorem esse ~~spiritu~~
spiritu sancto, sicut potuit ostendi de filio propter formam serui. Secundum enim dictum esse patrem
filio maiorem esse, quia in forma serui erat filius, et adhuc in forma est humana
filius quam leuauit in celum, propterea dictum est de illo quod et nunc interpellat pro nobis,
et sempiterna erit hec eadem forma in regno inmortalis propter quod dictum est, tunc
et ipse filius subiectus erit ei qui illi subiecit omnia. Nam de spiritu sancto qui
nullam suscepit creaturam ad unitatem persone sue, quamuis se per subiectam creaturam
uisibiliter et ipse siue per columbe speciem siue per linguas igneas sit demonstrare
dignatus, numquam dictus est eo maior pater, numquam dictus est minor spiritus sanctus adorasse
patrem, numquam dictus est minor patre, sed dicis de filio si equalis est utique talis, id est
ut quia non est ingenitus non uideatur talis. Possis dicere hominem non esse quem genuit
adam, quia ipse adam non est genitus sed factus a deo; Si autem potuit adam et non esse genitus
et tamen hoc generare quod erat ipse, non uis ut potuerit deus deum equalem sibi regignere.
Puto me tibi ad omnia respondisse. Nouis esse discipulus, noli esse multiloquus.